

U.M.  
RUM  
E  
ÉINZIA  
UM



DIVITIARUM  
**EVANGELICARVM**

*Disquisitio Extraordinaria*

PRÆSIDE  
**CHRISTIANO GUEINZIO**

Gymnasii Salani

Rector

Respondente

**JOACHIMO BULSIO**

Havelomontano

*Dominica VI. post Epiphanias*

*A. O.R. cl. Ic. III.*

HALLIS SAXONUM

*Preto Hæredum Melchioris Oel-*  
*Schlegely*

Pn. Vitzero

SACRO TUTAMINI

Virorum

Reverenda Dignitatis Excellentia, multi juga  
eruditionis præstantia, Virtutum vitaq;  
sanctimonia conspicuorum

Dn. JOACHIMI BLUMENTHALI  
Ecclesiæ Havelomontanæ Pastoris me-  
ritissimi, Affinis sui dilectissimi, Tutoris,  
fidelissimi.

Dn. OTTONIS von der Gühde/Eccle-  
siæ Mestorfianæ Parochi vigilantissimi  
Avunculi charissimi, Tutoris curantissi-  
mi.

Dn. M. DANIELIS BLUMENTHALI  
Ecclesiæ Neo-Soltquellensis Antistitis,  
dignissimi, Sobrini amantissimi, Präce-  
ptoris meritissimi;

Quibus volui ut Amicis,  
debui ne Patronis  
utring; Magnis

Hoc Theologicum Libam in Pie-  
tatis & Observantiae hostimen-  
tum studiorum & ulterioris spei  
documentum

destino.

RESPONDENS.



## ANALYSIS

# EVANGELII

*Dominica VI. post Epiphanias;*  
**DE GLORIFICATIONE**  
**CHRISTI**  
*Matth. 17. v. 1. usq; ad 8.*

## ANTELOGIUM.



*Egitur de Mose ipsum  
descendentem è monte post le-  
gem acceptam promulgandam,  
ita vultu resplenduisse, ut popu-  
lus oculis sustinere non potuerit.*

*Moses typus Christi in multis aliis, ita et-  
iam in hoc: àquè enim Jesus è cælo descendens,  
ut se DEI filium publicaret, postquam legem  
gratiæ seu Evangelium revelavit ex sinu Pa-  
tris transfiguratus resplenduit. Id quod uberi-  
us in textu Evangelico apud Matthæum de-*

*T scri-*

318

scribitur, qui textus hic Hallis Dominica 6.  
post Epiphanias, quamvis rarius incidat, &  
quidem intra centum annos præsentes juxta  
vetus Calendarium, quò hic utimur, septies  
tantum tractatur. Ne ergo negligeretur, cum  
alibi Dominica 23. quoque post Trinitatis in  
quibusdam locis proponatur, inserere placuisse.

### THESES I.

**H**abetur autem in eo specimen glorificationis carnis Christi, ut doceatur  
re verâ statim in prima conceptione ipsi communicatam majestatem esse; inq<sup>st</sup> statu exinanitionis eam ipsam habuisse, sed propter opus  
redemptionis perficiendum non exseruisse: nisi quando ipsi visum fuit. Ut discamus carnem Christi omnino divinam & majesticam  
propter unionem hypostaticam.

2. Est autem in ea partim Christi transfiguratio, cuius antecedens est discipulorum Christi associatio v. i. In quo habetutum temporis circumstantia: post dies sex. Nempe postquam predixerat discipulis se ipsis præbiturum specimen gloria sua & cœlestis sui regni. Apostoli quippe predictione de passione Christi perturbati erant, nec intelligebant, quomodo passione incorruptio, & morte vita restitui possit. Ut igitur has cogitationes inquit

Cyril-

Cyrillus, eximeret, eosq; ad strenuitatem reduceret, futurae illis cupiditatem vita indit. Post igitur sex dies, dum adhuc in recenti memoria habebant Apostoli, id ipsum complet. Et quamvis Lucas dicat octo ferè fuisse dies, non tamen dissentunt, quia Lucas primum predictionis, & ultimum clarificationis connumerat, illi intermedios completos non numerant: uti habet Damascenus in oratione de transfiguratione. Ac ita certitudo est promissionum divinarum, que sunt omnes in Christo Iesu etiam & Amen 2. Cor. I. v. 20. Denotant verò sex dies intermedii sex millia annorum, quibus mundus (ut in domo Eliæ prædictum) est duraturus: septima dies erit iudicii, & octava die glorificabitur in monte aeternæ beatitudinis, quando humile nostrum corpus conforme redder corpori suo glorioſo Philipp. 3. v. 21. uti monet Chrysostomus, Theophylactus, Hilarius & Ambrosius.

3. Tum facta, summatim: assumit Jesus. Quia tunc promiserat corporis clarificationem & regni DEL visionem; sed assumit non omnes, quia non omnes apti erant, dum excedit facultatem eloquentie, dum transcendit capacitatem intelligentie illud decus, illa gloria, illa celitudo, uti habet Augustinus.

T 2                  Unde

320

Unde etiam in Greco ἀναβούει pro ἀνάγει legitur, quod potius illi sint ducti & assumpti, quam ut ipsi ambularint.

4. Sigillatim, quoad comitatum : Petrum ac Jacobum & Johannem fratrem ejus. Quos plerumq; secum habuit : Et quemadmodum etiam postea in monte Oliveti fuerant spectatores infima humilitatis. Matth. 26. verl. 37. ita voluit etiam habere sue maiestatis. Et cum nondum erat tempus totalis glorificationis ait Damascenus non omnibus se exhibuit, sed his tribus, quia in ore duorum vel trium consistit omne verum Deut. 19. v. 15. & quia venerandum Trinitatis mysterium indicare voluit, secundum Damascenum lib. alleg. Et quidem Petrum imprimis, ut tanto fortius ipsum ab errore suo, in quem ob auditam Christi passionem inciderat, revocaret; Jacobum vero, quia primus pro Christo sanguinem fundere debuit, Act. 12. v. 2. & Johannem, quia divinam ejus majestatem defensurus & probaturus erat: quemadmodum quoque testatur cap. 1. v. 14. se vidisse gloriam ejus. Ut discamus, testes quoq; aplos esse ad probationem adhibendos.

5. Quoad locum : & subducit illos in montem excellum seorsim. Ubi per Synecdochem

dochen generis intelligendus est mons Thabor, uti testatur Hieronymus Epist. 27. Et Beda de locis sanctis cap. 17. testatur inibi tria templa edificata. Ipse etiam contextus, sicut ex antecedentibus & consequentibus patet in Galilæa factum esse. Thabor vero est latissimus mons Galilæa, & quasi umbilicus in medio ejus campo sublimis mirâ rotunditate, uti describit Josephus lib. 4. de bello Judaico cap. 2. Et quia in hoc monte gloriam & honorem accepit Petrus, ipsum nominat sanctum 2. Epist. 1. v. 18. Nobilis vero etiam fuit in V. T. propter Barach & Debora Judic. 4. v. 14. Et quia in V. T. publicata est lex in monte, etiam in simili suggestu, uti habet Tertullianus, N. T. consignari debuit. Lucas addit propterea ascendisse montem, ut oraret. Idq; etiam factum esse patet, dum inter orandum transformatus est. Ut discamus, si velimus glorificari, ascendendum montem: hoc est, animos à terrenis cogitationibus ad cœlos attollamus & oremus, in cuius rei typum gloria Dei quoq; apparuit Moysi colloquenti in monte Sinai Exod. 33. 22.

6. Concomitans, & inibi occurrit, partim Christus; cuius describitur ipsa transformatio. v. 2. in quo est tum effectus:

T 3

trans-

322

transformatusque est. Non secundum substantiam, quemadmodum vox μορφή alias pro ἀτίᾳ sumitur; Ἡ μέμορφωσις secundum Ammonium est mutatio corporis in aliam formam, sed secundum qualitatem, εἴ quidem, quod Lucas innuit, in vultu, cuius species altera, non natura abolita, quod Theophylactus loquitur; non substantia sublata, sed gloria commutata, ut Anselmus interpretatur: transfiguratus est non substantiam carnis amittendo, sed gloriam futurae resurrectionis ostendendo, quo alludere videtur dum non vocat tales fabulas, quales Metamorphoses Ovidius habet, 2. Petri 1, 16. sed gloriam, dum assumptus, habet Euthymius, divinum splendorem, qui non aeri aut oculis spectatorum, sed Christo inhabet, ut habet Hieronymus Epist. 61.

7. Et modus, ratione objecti: coram illis. Nō corā aeterno Patre, sed coram discipulis, qui glorificatam ipsius faciem adhuc noverant. Ut probaret claritatem non demum carni Christi oblatam, sed in conspectu discipolorum prolatam, teste Epiph. homil. 69.

8. Ratione subjecti, partim quoad faciem: Et splenduit facies ejus sicut Sol. Secundum scilicet capacitatem Apostolorum, dum

dum oculi majorēns lucem ferre non poserant.  
Alias ipse Sol iustitia Malach. 4. v. 2. Solis  
splendorens longissimè superat. Quia verò in  
hoc mundo nihil Sole splendidius est, ideoq;  
Sol i comparatur. Fulgebunt etiam post resur-  
rectionem sancti, ut Sol. Matth. 13. v. 43. sed  
ipse Sol erit; ideoq; major eius splendor. Ut  
discamus sancti esse, si velimus splendere.

9. Quoad vestem: vestimenta autem  
illius facta sunt candida sicut lumen. Dum  
quod Gracum innuit, fulserunt & micuerunt;  
nam stellis micantibus & gladio omicanti vox  
síλβει Psal. 7. v. 13. tribuitur, seu fulgura-  
runt, ut Lucas loquitur. Quales fulgurantes  
vestes tribuuntur Angelis Lucæ 24. v. 4. Mar-  
cus 9, 31. explanat acsi fullo eos candefecisset,  
fuerunt enim sicut nix; secundum Lucam  
sicut lux, ut præter candorem etiam rutilarent.  
Qui candor fuit à claritate corporis Christi,  
qua penitavit uestes, ut sol per fenestras. Est q;  
ideo iste symbolum latitiae & gloria beatorum  
Apoc. 4, 4. simulq; docet quod Evangelica scri-  
pta sint manifestata Ut doceret puritatem &  
sanctitatem esse indicium cœlestis conversatio-  
nis; & ut discamus, ad Deum neminem ve-  
nire, nisi habeat stolas iustitiae Apoc. 7. v. 14.

10. Partim comitatus, tum apparenti-

T 4 um;

324

um; estque Mosis & Eliæ confabulatio v. 3;  
in quo præmittitur vox attentionis: Et ec-  
ce. Ut eo fidelius attendamus & obseruenus.

11. Exponitur objectum summatim:  
conspecti sunt illis, nempe discipulis, quo-  
rum facta mentio v. 1. nam ipse Iesus ab hoc  
numero excidit. Ut discamus per æconomi-  
am etiam clarificata corpora videri posse, licet  
non ab omnibus. Ut habetur quoq; in historia  
passionis Dominicæ, quod illi qui resurrexe-  
runt tempore terræ motus sint tantum visi à  
multis Matth. 27. v. 53.

12. Sigillatim: Moses & Elias. Christo  
enim in gloria sua apparenti conveniebat ades-  
se quosdam gloriosos ut sua præsentia glo-  
riam illustraret, & hoc testimonio comproba-  
ret. Hi enim duo inter omnes veteres Prophe-  
tas ob insignia facta & miracula apud populum  
Dei semper fuerunt in maxima autoritate.  
Vterq; vidit Dominum in monte Synai Moses  
Exod. 34. 6. Elias i. Reg. 19. 9. Moses fuit do-  
ctor legis, Elias princeps Prophetarum, uti ha-  
bet Chrysost. & Hieronymus, Ut discipuli  
Mosis mansuetudinem & Eliæ Zelum spe si-  
milis gloria imitarentur secundum Euthymiu-  
m, & colligerent & V. & N. T. de Christo  
testari. Unde etiam Malach. 4. 4. in co-  
sione

sione V.T. horum duorum meminit, qui ex cælesti vita venerunt: quia etiam Dominus 2. Reg 2. v. II. corpore & anima curru igneo suscepit in cœlum, quod etiam de Mosis corpore ex Epistola Iudea v. 9. colligitur. Et cum, quod Lucas habet v. 31. in gloria sint conspecti, colligetur induitos cœlesti splendore peculiariter à Dei operatione ad hūc actū esse reservatos in propriis corporibus, uti habet Aug. lib. 3. de mirabil. scrip. c. 10. Ut in duobus his cœliibus, qui gloriosi comparebant, habeamus immortalitatis speculum cum nostra corpora debeant fieri Christi corpori glorioso conformia. Philipp. 3, 21 Quia etiam propterea descenderunt, quia Apostoli habuerunt Iesum pro Elia. Ut ergo redarguerentur manifestatum apparatione, tum abitione separantur. Sed o sublimem & divinam politiam, ut Damascenus exclamat, in qua Deus Deorum & Dominus Dominantium astitit in medio Deorum. Ut discamus, Iesum sibi ius vendicare convocandi synodum ex cœlesti pariter & terrestri Ecclesia cœli terraq. Dominum, in quo etiam omnes conveniunt & in unū quasi colliguntur. Eph. 1, 10. Col. 1, 2.

13. Tum effectum: cum illo colloquentes. Non enim tantum apparuerunt, sed etiam collocuti fuerunt. De qua vero materia Lucas

326

paucis annos v. 31. de exitu nimirum, quem  
completurus erat Hierosolymis; cum enim A-  
postoli paulo ante offensi fuissent illo ipso arti-  
culo, voluit docere nullam aliam esse gloriam,  
quam redimi genus humanum per exitum seu  
crucem Domini nostri Iesu Christi, in quo eti-  
am gloriari nos oportet Gal. 6. 14. Ut discamus  
de cruce Christi loqui, si velimus haberi sancti.

14. Et praesentium, ubi Petri consulta-  
tio v. 4. in quo ejus persona seu causa: re-  
spondens autem Petrus. Qui ipse alias tan-  
quam Coryphaeus in omnibus ferè principatum  
ordinis habuit, unde etiam princeps Aposto-  
lorum salutatur. Lucas v. 32. dicit gravatos  
fuisse somno, uti etiam tempore passionis in  
horto Matt. 26, 43. Chrysostomus arbitratur  
quasi somno gravati fuerint, quia, quod habet  
Marcus 9. v. 5. non noverant quid loqueretur,  
ut primum viderint, mox excellentia visionis  
territi stupore obruti sint, & rursus expperrecti  
quasi. Quemadmodum ita Abrahamo con-  
tigit Gen. 15, 12. & Danieli c. 10, 8. Erant enim  
expavescuti & postea tamen illos antea nun-  
quam visos noverunt & ex colloquio & ex gra-  
tia Dei secundum Tertul. l. 4. contra Marcion  
c. 12. uti Saulus Samuelm 1. Sam. 9, 17. uti  
Iohannes Embryo Christum. Ut discamus nos

co-

cognituros omnes exactè in alterâ vita, quia,  
uti Nazianzenus ait, omnes purâ illuminati-  
tione sanctæ Trinitatis fulgebimus & erimus à  
Deo dotti. Johan. 6. 45.

15. Forma, absolute per propositionem:  
Domine bonum est nos hic esse. Ia. Pe-  
trus dulcedine visionis captus exclamavit, ut  
omnium oblitus domicilium in monte figere  
cupiat, propter pragmata aeterna vita, quia  
existimavit imminere tempus regni, uti habet  
Cyrill. Et quamvis Petrus cum duobus suis  
collegis in multis amoenissimis locis multa vide-  
rit & audiverit, nullibi tamen alias manere  
voluit. Ut discamus, gaudium vita aeterna esse  
supra omnia gaudia.

16. Comparatè ratione effecti, ubi con-  
ditio: si vis. Non ergò simpliciter, sed volun-  
tati relinquit Domini. Ut discamus nos sub-  
mittere in omnibus rebus nostris divine pro-  
videntiae.

17. Et expeditio: faciamus hic tria ta-  
beracula. Quæ ex carnali imbecillitate ad-  
huc profecta sunt verba, uti Marcus & Lu-  
cas testantur, nam ab ipsa visione fuit pertur-  
batus, dum ex terreno metitur aeternam fe-  
licitatem, dum in monte manere optat.

18. Et objecti, quoad principale: tibi  
unum.

328

unum. Quia inibi optabat manere, propter  
infidias Iudeorum secundum Chrysost.

19. Minus principale: & Mosi unum, &  
Eliæ unum. Quos quasi retinere voluit, ut  
porrò videret & audiret. Adeò quidem ut ob-  
tivus sui & collegarum suorum. Ut discamus,  
jucunda esse tabernacula Domini, quia beati  
habitant in domo in secula seculorum. Psal.  
84,1. & vivere cum Christo.

20. Fuit Christi clarificatio; sequitur  
de eodem Patris attestatio, cuius describitur  
forma, & est de cœlo clamatio. v.5. in quo  
tempus: adhuc eo loquente, Nempe Petro,  
utiparet ex antecedente versu. Ut ostendatur  
eque hoc attestatum ad statum glorificationis  
pertinere.

21. Et modus, quoad accidens, respectu  
nubis, quæ ratione objecti & effecti nota-  
tur: Ecce nubes lucida obumbravit illos.  
Quia enim Apostoli nec sustinere, nec satis in-  
telligere poterant rationem gloriae cœlestis;  
Deus nube quadam ipsos obumbrabat, scili-  
cet Mosen & Eliam, utiparet ex Lucæ v.34.  
ubi illi ingrediuntur intrantes nubem. Idq.  
fecit 1. ut aliquo modo ferre posset divinam  
majestatem 2. ut intelligerent, se revocari à  
scrutatione majestatis; quin 3. ut ostenderetur  
illos

illos non indigere tabernaculis, cum fruantur  
clarâ Dei visione secundum Ambrosium.  
Additur verò quod nubes lucida fuerit, non  
talis, qualis in monte Sinai Exod. 19, 16. &  
24. v. ult. Deus enim inhabitat lucem inac-  
cessibilem 1. Tim. 6, 16. in qua solet incompre-  
hensibilem majestatem quasi obtectam ostendere Exod. 19, 9. unde & Christus veniet in  
nubibus Matt. 24, 30. Lucida verò, quia gloria  
Christi erat index 2. Pet. 1, 17. Addit etiā Lu-  
cas quod timuerint illis intrantibus, quia lux  
illa carni & sanguini est inaccessibilis, ideoq;  
metuebant, ne, ut olim in monte Sinai, fulmina-  
cieret.

22. Et respectu vocis: & ecce vox è  
nube quæ diceret. Postquam scilicet illi re-  
cepti intra nubem illam, prout notat articu-  
lus: ut certum esset, quem vox illa Patris de-  
signaret, quemadmodum testatur Hierony-  
mus. Et uti vox & nubes in V. T. sed horri-  
bilis & caliginosa adeò ut cohorresceret po-  
pulus Deut. 5, 26. ita & in N. T. sed placabi-  
lis & gratiofa, non quod voluntas Dei sit mu-  
rata, que in Sinai promulgata, sed quia per  
Christum placata & nobis reconciliata, ne  
habet Theophyl. & Damascen. Ut discamus  
non nisi per Christum nos posse venire ad Deū.

23, Quo-

330

23. Quoad vocem, respectu attestati ex relatione: hic est Filius meus. Secundum essentiam, non secundum adoptionem. Vnde & vox ista prius non audita est, quam Moses & Elias in nubem ingressi dum Jesus in monte solus conspiciebatur.

24. Ex qualitate seu affectione: tuus, dilectus. Sive, uti interpretatur Iohan. c. 1, 14, unigenitus. Ergo non Dei seu constitutio, sed & dei seu generatione Dei Filius declaratur. Ita S. Sanctus in nube, Pater in voce, & Filius in gloria. Hinc Cyprianus inquit: contestatus est Pater de caelo, hic est Filius meus dilectus: Filius dicit, ego & Pater unus sumus. Quis est qui inter has Patris & Filii voces medium discursorem interserat & Deitatem dividat, affectum separet, substantiam rumpat, spiritum secet, neget esse verum, quod veritas dicit?

25. Tuus, in quo mihi bene complacitum est. Quia per ipsum voluit placari, uti nos in ipso elegit ab eterno Eph. 14. Complebitur q[ui] illustrem descriptionem personae & officii Christi mediatoris. Ut discamus, in alio nos non placere nisi in eo, qui placuit ipsi, A&Q. 4, 12.

26. Respectu mandati: ipsum audite. Quod additum non tantum ad corrigendum

vo-

votum Petri, sed etiam ut Apostoli tunc, nunc  
omnes homines, hunc doctorem universalem  
audiant ex Deut. 18, 15. Dolebat quidem Petrus  
Mosen & Eliam abire, sed volebat Deus Fi-  
lium hunc audiri. Sileat ergo Moses, sileant  
Prophetæ, illo præsente, qui ab iis est prædi-  
etus, habet Tertul. Illi quidem vaticinati sunt  
de hoc Iesu, sed hunc audite dixit: multo  
certiora multò diviniora quam ex illis ex hoc  
audietis. Ut discamus ipsum esse audiendum  
canquam eruditum doctorem Esaie 54, 5. Uni-  
cum doctorem Marth. 23, 10. Inde est Cy-  
priani regula in Epistola ad Cæcilianum:  
Christum solum esse audiendum, nec atten-  
dendum, quid aliis ante nos faciendum pu-  
raverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus  
prior fecerit.

27. Sequela distinctim. Et est tum Apo-  
stolorū consternatio v. 6. in quo antecedēs  
est causa, auditus: Et cum hoc audiissent di-  
scipuli. Nempe quæ vox retulit ex cælo de illo:  
neg, enim Christus ipse sibi hunc honorem sum-  
psit, sed à Deo eum accepit Hebrei 5, 4.

28. Et casus t̄ prociderunt in faciem  
suam. Licet enim non fuerit vox iræ, sed vox  
gratiae, tamen terrefacti: quia homines peccato-  
res Deum loquentem sustinere non valent, dum  
indignitatem suam agnoscunt.

28. Con-

332

29. Consequens est metus : Et territi sunt vehementer. Ut discamus quotiescumq;  
loquitur Deus, dum sumus in his terris; Et ad-  
huc dum peccatores, semper nos terrori.

30. Tum est Christi excitatio v.7. quo-  
ad effectum, ubi notatur factum , tum ac-  
cessus: accedens Iesus. Quippe per ipsum  
habemus accessum ad patrem Eph.2,18. Ve  
ostenderet, nisi ipse accederet, in perpetuo ti-  
more & consternatione perenni nos mansuros.

31. Et tactus: retigit illos: Siquidem ma-  
nus ejus est salutifera, que etiam tangendo  
sanavit leprosos, excitavit mortuos. Ut disca-  
mus communicata omnipotentiae efficaciam.

32. Et alloquium affirmativè : dixitq;  
surgite ! Quod verbum ubiq; efficax. Mox  
enim resumptis viribus leverunt oculos, uti  
alibi excitavit mortuos. Ut discamus jubente  
ipsa omnia resurrectura.

33. Et negative : ac timeatis. Cum ista  
facta sint ad vestram confirmationem, ad ve-  
stram consolationem.

34. Coniunctim est solius Christi ma-  
nifestatio. v.8. in quo tempus : ubi vero su-  
stulissent oculos suos. Ita nēpe cum excitati  
cum consternatione atq; terrore eluctati essent.

35. Et effectus per remotionem : ne-  
minem

minem viderunt. **Dum Moses & Elias** jam nubem ingressi essent, uti Lucas v. 34. recenset: quia haec Christum solum, quae dicebantur, concernebant: ideoq<sub>3</sub> sublati illi, uti habet Cyrillus.

35. Et per positionē: nisi solum Jesum. Solus enim ille est: ut 1. scirent de solo hoc pronunciatum esse; ut 2. cognoscerent solum illum esse mediatorem i. Tim. 3. ut 3. dicserent solum etiam esse doctorem Hebr. i. 1. & Mosis umbras, Eliae prophetias jam cessare. Interim nos, habet Chrysost. hom. in Matth. 57. si volumus, Christum utiq<sub>3</sub> videbimus multo splendidiorem. Non enim hoc modo secunda vice veniet: Nam iunc illis parcens discipulis, tantum ostendit, quantum ferre poterant. Postea veniet in ipsa gloria Patris, non cum Mose & Elia, sed cum in numero Angelorum exercitu.

## NOTÆ.

### I.

**I**N montem excelsum ) considera Christum ascendisse montem, ut glorificaretur & clarificaretur, ut discas, & què ascendere sursum & habebis gloriā.

V

II.

## II.

**M**oses & Elias locuti de excessu ejus] considera Christum in summa gloria, tamen de cruce locutum; ut discas inter laetitas & honores non oblivisci malorum.

## III.

**F**aciamus tria tabernacula ] considera Petrum tantum aliquid vidisse gloriae vitae æternæ & statim voluisse inibi manere suiḡ oblitum non sibi tabernaculum parare; ut discas quanta sit gloria cœli, & si de ea cogitaveris facile mundanarum rerum oblivisceris.

**CASUS CONSCIENTIÆ.**

An Petrus debuerit in monte, etiam si potuerit tabernaculum facere?

**V**otum ejus est: & quidem quum abreptus claritate Christi, jucunditas te colloquentium voluit tabernaculum facere, & ibi habitare. Idq̄ non improbatur.

tur. 2. Licitum videtur ubi cung. velit  
 quis habitare locum sibi querere. l. 14. ff.  
 de acquir. ubi dicitur: quod in littore  
 quis adificaverit ejus erit. Sed contra in  
 alieno solo adificatur quodcung d. mino  
 prædijs acquiritur l. si supra 28. l. 50. ff. de  
 acquir. dominio l. in fundo 38. §. 1. l.  
 redemptores 59. ff. de rei vindicat.  
 et si sit mobile l. Titius 60. ff. de ac-  
 quirend. rerum dom. 2. Si vero debu-  
 it esse sacrum, neq; ille tanquam privatus  
 potuit: quia sacrum locum quis auctorita-  
 te propriâ facere non potest c. nemo de-  
 consecrat. dist. i. Et Michæ propterea  
 improbat factum Jud. 17, i. 3. de-  
 dicatio templi fit per imperatorem aut ejus  
 jussu. l. sacra loca 9. ff. de rerum di-  
 visione l. fin. ut in possess. legat. ff.  
 de Legat. sic & C. ad hæc & c.c.i. de  
 religios. dom. c. 2. de consecrat. Ec-  
 cles. c. nullus c altaria in 2. de con-  
 secrat. dist. ii. Novell. 67. neq; etiam  
 reficere licet privatotemplum. Ad argu-  
 menta contraria. l. votum fuit sed impro-

U 2 batur

336

batur dum ipsum ignorasse, quid locutus, additur. De habitatione aliud est: nam, *injure* consistit. Deinde quærebat tantū. At ex voluntate Principis interdum solum ædificio cedit, ut habet Suet. in Vespas. c. 8, qui concesserat unicuique occupanti in urbe incendiis ruinis dirutas domos & vacuas areas si eas domini cessaret vel detrectarent ædificare, refiere & exstruere: satius privari paucos re sua dicens quam in urbe urbem quærere. Sic Christus Dominus dominantium & terra Psal. 24. si concessisset jure potuisset. In l. 14. committitur fall. divisionis: siquidem loquitur de eis locis qui in nullius dominium adhuc devenerunt, ut in subsequentibus ibi legitur. Interim tamen decretum prætoris requiritur, si non de casa, sed de alio ædificio intelligatur, cum tamen etiam usus publicus ex l. 4 ff. ne quid in publico.

---

An viatio tantum fuerit an re vera appa-  
ruerit Elias & Moses?

**V**isiones interdū 1. objici ex Genes. 18, 2, 3.  
Exod. 3, 2, 3, 4. Act. 9, 3, 4. constat 2. Pe-  
trus legitur ignorasse quid voluerit & dixerit,

218

At tales nihil certò asseverare & testari possunt.  
 Marc. 9, 6. Farin. q. 68. n. 25. 3. Metamorphoses sunt suspectæ neq; credibiles, uti multis de  
*Lycanthropia* docetur apud Physicos 4. A mortuis non veritatem habemus Deut. 18. 10, 11.  
 5. Apparitiones non prabent argumentum.

Sed 1. Phasma seu visionem non fuisse patet,  
 quia i. collocuti re vera cū Christo de exitu ejus.  
 Expressè hanc apparitionē Luc. 9, 31. 2. restatur  
 Scriptura sacra, apud Matth. 17, 2. Marc. 9, 3.  
 Et Petrus 2, 1, 16. At scriptura divina est  
 àrūteū Duvos. Simulq; , cum testes 3. præ-  
 sentes, in quorum ore omne verum, Deut. 17. 6.  
 & quum sint habiles ad testimonium dicendū,  
 propterea quia sunt idoneæ personæ l. 8. §. 2. ff.  
 de jure codicil. habeantq; facultatem & volū-  
 tatem testandi ex scientiā, ut qui partim inter-  
 fuerunt, ut Petrus, partim S. S. gratia illumi-  
 nati retulerunt. Nullū est dubium. 3. quod re  
 vera apparitiones aliæ in V. & N. T. legantur.

Quod argumenta contraria cōcernit: aliud  
 est de visionibus, quales inibi nominantur, a-  
 gere; aliud de rei veritate, qualis hic afferitur;  
 Nam nisi fuissent pro iis à Petro habiti, ab Ev-  
 angelistis & Apostolis in scripturam relati non  
 fuissent. Ad 2. Petrus quidē dicitur ignorasse,  
 sed respectu voti, dū voluit tria tabernacula e-  
 dificare, nō respectu facti, quatenus vidit Eliam

Et Mosen. Hoc enim nō improbat, sed potius  
 cōfirmatur. Nec omnis testis, cui aliquid vide-  
 tur, rejicitur, uti habet Castrensis in l. prim. n.  
 12 in fine s. de Just. & Jur. 3. Metamorpho-  
 ses leguntur, sed illæ quæ apud Ovidiu, sunt fa-  
 bulosæ, quia poetica & impossibiles, unde Petrus  
 ipse distinguit, se tales nō referre a. Pet. I, 16. A  
 morenus hic nihil, sed à vivis habetur, quales  
 sunt Apostoli & Evangelista. Alias quidē appa-  
 rationes animarum, sunt dubia & nulla, quia  
 nulla iudeis promissio, qua solius Dei animos re-  
 vocare, aut August. serm. 4. d. temp. Etiā absq;  
 corpore suo vocē edere non possunt. Vnde hic il-  
 li duo comparuerunt, de quorū corporibus con-  
 stat, quod unā venerint in cælū. Nolunt ipsæ in-  
 teresse miseriis hominū, uti pluribꝝ docet Aug.  
 in lib. de cura pro mortuis c. 13. cum in pace  
 quiescāt, sunt fœsua promissum. Sunt suspectæ,  
 quia Diabolus se transformare potest in Angelū.  
 lucis 2. Cor. II, 14. Bald. I. 3. c. 7. Distinguendū  
 tamen inter revelationes que Patriarchis &  
 Prophetis in V. T. & que Apostolis in N. facta,  
 & in scripturis sacris annotatae sunt, & inter al-  
 las. 2. inter particulares revelationes de sorte  
 huius vel illius, & de articulis fidei. In his re-  
 misit nos ipse Deus ad verbū revelatum Deut.  
 18, II. Esaiæ 8, 19, Luc. 16, 29. 3. Ipsi doctores vo-  
 lunt, ut juxta verbiregulā examinetur. Thom.  
 par.

par. I. q. i. art. ad 2. Bonavent. l. i. font. dist. n.  
 9. q. 6. Arnoldus de villa nova in respons. ad  
 Frider. Siciliæ Regem: Christus transfigura-  
 tus presentibus Mose & Elia, ex quo datur  
 regula omnibus fidelibus, quod ubi aliquid vi-  
 detur præter communē cursū humanae condi-  
 tionis, duo sint attēdenda, scilicet res expressa &  
 modus expressionis; nam si res expressa cōtineat  
 purè Evangelicā veritatē & in minimo non  
 discordat à testimoniiis vera scriptura divine,  
 sicut non à lege & Prophetis, qua significatur  
 per Mosen & Eliā, certū est quod est visio vel  
 indiciū cœlestis impressionis; si vero quod expri-  
 mit nō continet purè Evangelicā veritatē, vel  
 si modus tantum discordat à testimoniiis sacris  
 tūc de illusionē cuiq; debet esse suspecta. Salme-  
 ron. Tom. I. prol. i. & prol. 7. dist. 26. in cōst.  
 15. Ludovicus ab Alcasar. procēm. in Apoc.  
 not. 22. n. 2. Deniq; etiam veteres heretici ad  
 revelationes provocarunt Valentia Tom. 3.  
 coll. 96. in Thom. Thyræus de apparit. cap.  
 16. §. 4. pleriq; etiam illorum statuit animā,  
 Samuelis non apparuisse c. nec mirū c. 26. q. 1.  
 Thom: part. i. q. 98. art. 8. Raysnerius in Tō.  
 1. Pantheol. August. l. 2. ad Simpl. q. 5. Colo-  
 yetius II. 4. de spectris cap. 1. Gerhard.  
 1. 1. Cathol. Verita. part. 2. cap.  
 17. de revelationibus.

340

μαρτυρίαν την οποίαν πάλιν απέδειχθει την ιστορίαν  
την περί της σύνταξης της Αγίας Γραμμής.

ANALYSIS  
EVANGELII  
DE GRANO SINAPIS  
Marc. 4 à v. 30. usq; ad 34.  
ANTELOGIUM.



V M verò aliis in locis, bac ipsa  
die Dominica VI. post Epiph-  
nias proponatur de grano sinapis  
ex Marco 4. v. 30. usque ad 34.  
placuit ejusdem quoq; resolutio-  
nem paucis subjcere. Et quum Apostolus Pau-  
lus Rom. 1, 16. dicat, Evangelium est potentia  
Dei omni credenti ad salutem, variis id-  
ipsum probatur similitudinibus: potissimum  
hoc in capite apud Marcum, dum compa-  
ratur semini propter fructificationem in pre-  
cedentibus. At quis semen sapissime vel concul-  
catur vel suffocatur, ut vix quarta pars con-  
serve-

348

servetur, voluit docere tamen multiplicari & propagari mirabiliter: id quod etiam factum est, dum in universo mundo predicatum, Col. 1, 6. In primis vero hoc docetur etiam in praesenti parabola, quando grano sinapis comparatur. Et quidem:

## THEISIS I.

**P**artim tractatur hic in specie per communicationem, ubi regni DEI traditur assimilatio v. 30. in quo partim copula: Dicebat etiam. Quibus verbis ad antecedentia respicitur, dum partim de semine quadruplici, de lucerna, de seminis occulto incremento differuerisset, subjecit presentem parabolam.

2. Et proponendi forma, quoad πρότασιν, definitè quoad fundamentum: cui assimilabimus regnum DEI. De eo enim loquitur Ego interrogat. Ut ostendat, se nihil magis optare, quam ut doctrina semel proposita de differente fructu recte intelligatur, simulq[ue] doceatur, quamvis impediatur, tamē sese in universum orbem terrorum diffusum. Similitudinibus vero libenter usus, cum similia illustrent Ego simplices magis maguq[ue].

V 5

infor-

342

informemus. Ut discamus, debere Doctores se  
accommodare ad captum auditorum.

3. Et indefinitè quoad modum: aut  
quā collatione, conferemus illud? prius  
respicit rem, posterius ostendit modum. Non  
enim sufficit similia excogitare & allegare;  
sed vel maxime oportet, ut rectè conferantur,  
recteq; etiam applicentur. Allegoria sanè &  
similitudines non debent esse inconvenientes  
& anomala, sed fidei analogæ & rei naturæ  
congrue. Ut discamus, rectè prophetare, hoc  
est, verbum DEI tractare.

4. Ilsa comparatio per ἀπόδοσιν, &  
notanda sinapis seminatio v. 31. in quo sum-  
matim responsio: velut grano sinapis. Vbi  
particula ὡς respicit ad antecedens quod re-  
gnum Dei sit velut granum sinapis. Cum enim  
hactenq; comparatum sit cum semine in genere  
modo in specie cum sinapi confereatur. Ut ostendatur  
non sufficere generalia proposuisse, nisi  
quoq; specialia fuerint subjecta.

5. Explicatim, quoad accidens respe-  
cta sui: quod quum seminatum in terra.  
Respicit ita ad Evangelium quatenus prædi-  
catur. Ut discamus tum demum propagari  
felicius quando seminatur diligentius. Et nis-  
granum sinapis suam quidem habet naturam

*& qualitatem antequam seminatur, tamen  
magis exserit eandem ubi seminatum.*

6. Respectu aliorum: minimum est omnium seminum, quæ in terra sunt. De quo quum multi dubitent & disputent hoc sciendum, ex vulgaribus seminibus & quotidianis. Christum sumpsisse parabolam, nec respexit ad alia insolita semina, quæ licet sint minora, tamen non ita usitata. Ita videtur regnum Dei res minima plerumq; mundo & vilissima, ut stuititia prædicationis dicatur 1. Cor. 1, 23. Et tamen est solum illud unicum medium, quo sola salus nostra continetur & docetur, ut etiam Apostolus docet 2. Tim. 3, 16. Rom. 15, 4.

7. Et ejusdem subsequens dilatio v.  
32. in quo antecedens: sed quum seminatum fuerit. Id, quod prædicandum sit Dei verbum, ut si napi seminandum innuit, nisi enim fidelis docttor, uti parabola etiam docet, fœneratus fuerit & elocaverit pondo concredita, infidelis merito saluatitur. Et tanquam negligens postulatur.

8. Consequens quoad crescentiam absolute: asturgit. Accrescit enim, si recte seminatum, & augmentatur; ita verbum Dei nunquam frustra descendit, sed augmentum sumit, si terram bonam raditum fuerit, & regnum

344

gnum Dei docēdo, bona opera faciendo surgit  
in dies, & si non in uno, tamen in alio loco, si non  
hac horā, tamen alia.

9. Respectu subsistentiae comparatè, per  
propositionem: & fit maximum omnium  
olerum. Quod non de nostris regionibus intel-  
ligendum, sed de orientalibus, in quibus omnia  
horaensia firmiora & grandiora crescunt, ut  
non habeant imperiti quod sugillent: ac si non  
de sinapi proprie sit intelligendum. Novimus  
enim in arboris magnitudinem crescere in Ita-  
lia Rorem marinum, cum in nostris regionibus  
tantum sit fructus.

10. Et per amplificationem quoad quan-  
titatem: editq; ramos magnos. Sic itidem  
Evāgelium & regnum Dei, quod primum exi-  
te, postmodum Iesū diffundit & in universum  
orbem terrarum sese dilatavit, habet Isidor,  
Epist. 199. Ut admirabilem ejus efficaciam no-  
temus & observemus.

11. Et ab accidente: ita ut possint sub  
ejus umbra volucres cœli habitare. Sic  
Evangelium recipit omnes, excludit nullum,  
dum præbet umbram omnibus gratam, modò  
illud accedat, & nidum in ipso faciat.

12. Partim iā genere, & est parabola-  
rum usurpatio v. 33. in quo ratione effecti:

&

& talibus multis parabolis loquebatur eis sermonem. Solitus quippe fuit frequenter illis uti, quia frequenter doctores eas adhibere solent; & quia ita predictū erat Ps. 78. 2. ipsum apertum os suum per parabolam. Sunt verò parabola Hebraicis Mischle seu argute & eleganter dicta, que felicius hærent & magis permittant.

13. Ratione objeci per affirmationem: prout poterant audire. Hoc est intelligere quemadmodum per Metonymiam Hebraicam 2. Cor. 4, 2. & 25. etiam usurpatur. Accommodavit enim sese ad captum auditorum & res cœlestes mysteriaq; regni, similitudinibus benè notis proposuit: ut etiam simplicissimi illa percipere potuerit. Quo discamq; nō ὑπερφροντί Röm. 11, 8. & coram plebe docendo nimium sapere, sed humili orationis genere res utiles & ad salutem hominum salutares planis & perspicuis verbis proponere; non in persuasibilius humana sapientia verbis, sed in ostensione spiritus ac potentiae; quia regnum Dei non consistit in sermone, sed in virtute spiritus 1. Cor. 4. 20. Quin tedium est audire tales concionatores, qui affectant grandiloquentiam & negligunt divinam intelligentiam.

14. Per negationem: & est perpetua parabo-

346  
rabolarum usurpatarum declaratio v. 34.  
In quo respectu aliorum: absq; parabola ve-  
rō non loquebatur eis. Nempe plebeis,  
quibus proponebat, ut eò citius assequerentur  
& intelligerent.

15. Respectu discipulorum : privatim  
autem discipulis suis explicavit omnia. Sci-  
licet difficultia, qua etiam plebi exposiurus fu-  
isset, si explicationem, uti ipsi, desiderasent.  
Et quamvis Matthæus afferat propriea Christum locutum esse per parolas, ut audientes  
non intelligerent, tamen non contradicit, quia  
Christus duplices habuit auditores, alios pios  
ac doctrina appetentes, qui cum Apostolis de-  
siderarunt explicationem & investigarunt ap-  
plicationem, alios vero praefractos & doctrina  
sua contemptores, ad quos respxit Matthæus.  
Ut discamus pariratione, doctores habere di-  
versos discipulos: quidam enim cum Bertho-  
nibus A.Q. 17, II. diligenter inquirunt, sicq;  
ad veram cognitionem perveniunt; alii obsti-  
nata contumacia vel negligunt vel plane non  
audiunt.

---

NOTÆ.

I.

Si-

## I.

**S**imile est grano sinapis ) considera  
vile esse & exile granum & tamen com-  
parari cum regno cælorum; ut discas eti-  
am vilia non spernere, sed ad Dei cognitio-  
nem adhibere.

## II.

**V**olucres cœli requierunt ) consi-  
dera granum sinapis excreuisse, ut  
habitare sub eo potuerint volucres, ut di-  
scas verbum Dei umbram & habitatio-  
nem præbere omnibus hominibus.

## III.

**E**t locutus est per parabolas ) consi-  
dera Christum uti parabolis, ut meli-  
us intelligerent; ut discas, te quoq; in  
docendo accommodare ad captum audito-  
rum.

**CASUS CONSCIENTIÆ.**

An aves nidificantes in arboribus  
nostris sint nostræ?

**C**olligi posse videtur, quia ut semen ex  
quo arbor fit ejus, ergo & nides in arbo-  
re Matth. 13, 31. quia dicitur seminare in  
agrum suum. 2. quia sentit incommodum  
dum

348

dum devorant grana. Iccirco quoq; etiam 3  
commodum sentiat necesse est l. 95. in fi-  
ne ff. pro socio. Contratamen: dicuntur  
non aves domini, sed cœli Matth. 13. 32.

O alibi.

2. Fiunt, ut feræ occupantis: aerenim  
communis est omnibus l. 15. ff. de act.  
empt. l. 3. §. 14. l. 6. ff. de acquir. vel a-  
mittent. poss. Interea Dominus agri pro-  
hibere potest alium in tantum ut injuria-  
rum tenetur, qui contra prohibitum in-  
gressus fuerit l. 3. §. 1. ff. de acqui. l. 13. §.  
ult. ff. de injuriis l. 16. ff. de servit. rust.  
præd. alias capiens non potest puniri, quia  
legitimè factum pænam nullam meretur  
l. Gracchus 4. C. adl. jtil. de adult. l. ne  
mo 151. & 155. §. 1. ff. de rerum l. Neg. est  
privatio, ubi habitus non antecedit arg. l.  
manutiss. 4. ff. de l. & l. & l. 166. ff. d. v.

Schurf, cons. i. n. 303. cont. 3. nisi  
sit interdictum.

**N**uminis impulsu monte confundit in altie.  
Christus, qui socios junxit ut ante sis.  
**E**st ibi mutatus prope cum confinia cali  
Tunc in monte foro: lumine plenus erat  
Solis erat facies, nivis instar. & ipsa nitebant  
Vestimenta, velut qualia fullo facit.  
Et simul Elias, simul ac apparuit una  
Amramides queis cum differuisse patet.  
**I**sta vident Cephas: habitacula trina paranda  
Orat; sed voti nescius ipse sui.  
Nubilus ex coeli resonanti murmure lova  
Dixit; dilectus Filius iste meus.  
Hunc audite simul subiunxit! Et hocce sinape  
Cen granum quod sit sermo perinde Dei.  
**E**st minimum quia Christus ait, qua semina,  
In ramis ejus nidificantur aves. (sed post  
Talia presentim modo rememata Bulus offert.  
Pergat; & impulsus Numinis omne dabit.  
Sit minima modis succrescat splendor sed instar  
Solis erit quibit cum radiare polo.

optat  
**GUEINZIUS.**

---

**N**e mens in dubium vocare possit  
An æterna dies futura nobis  
Magni clarificatio Jehovæ  
Hoc ipsum docuit sat evidenter,  
Quin testatur & ipsius loqua  
Quam sanctis habuisse cum Prophetis

Con-

Constat, qui valedixerant procēllis  
Vitæ hujus, repetit suis idipsum  
Sacrī tñemasi BULSIUS. Subinde  
In sacris operam locare pergit  
Sic ejusq; caput nitescet olim  
Inter cœlicolas per omne seclum  
Id quod exiguis vovet Phaleucus.

Johannis Blumenthalii H.M.

Candida vestis erat Christi, faciesq; nitebat  
Irradiata ejus quando figura fuit.  
Quin & cœlicola descendunt multa loquentes,  
Debeat ut Solymis vulnera probra pati.  
Illiū at socio Petro dulcedine visus  
Capro mox illuc usq; manere lubet:  
Senserat hic etenim ventura gaudia vita,  
Namq; poli superant gaudia cuncta soli.  
BULSIUS hac repetit, sed pergit, quibit & olim  
Cum Christo sicut stella nitere polo.

Joachimus Holtorffius, S.M.

Quaeis nil in votis Christū quā clarificatiō  
Cernere, cernendi copia certa datur:  
Nil magis in votis tibi, BULSI, hōc, tñemata  
Instes: cernendi copia certa datur (testes:  
Johannes Glade S. M.



02 A 572  
(1/2)

**ULB Halle**  
003 808 483

3



V017

EV

CH R 15  
H 33 C



